

*ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis,*  
Hebr. vii, 23.

Quædam proferuntur difficultates ex ratione petitæ, scilicet, ex eo quod immutatio victimæ ad constituentum sacrificium requisita, in Missa reperiiri nequeat.

Sed eas multiplici modo solvunt theologi.

Priori definitioni sacrificii a nobis allatae inhærentes alii dicunt non esse quidem cruentam mactationem sicut in sacrificiis Judæorum, sed hanc necessariam non esse ad rationem sacrificii commemorativi; in Missa Christum, per verba consecrationis, in statu inferiori constitui, et hic in statu *victimæ* et *cibi* effici præsentem, sub speciebus utrumque exprimentibus, quod sufficit.

Alli in sacrificio Christi partes illas varias distinguentes, quæ in sacrificiis Hebraeorum reperiebantur, scilicet, sanctificationem, oblationem, immolationem, consummationem et communionem, eas non disjungendas esse dicunt, sed omnes coalescere unicumque sacrificium efformare contendunt. Nunc in æternum Christus stat coram Patre in statu consummationis, et in eo statu per verba consecrationis super altare fit præsens et offertur, et cum sit a sacerdote fidelibusque sumendus, in statu quoque communionis adest. Hæc autem, cum separari nequeant a sanctificatione et oblatione jam effectis, neque ab immolatione cruenta, nunc mystice repræsentata, unum cum ipsis sacrificium constituunt. Sic P. de Condren, Præp. Gen. Cong. Orat.

Nec ab iis dissentire videntur qui dicunt quotidianas oblationes cum immolatione crucis in mente Christi essentiali a principio ordinem habuisse, et ideo separari non posse ab ea immolatione, aliunde speciebus panis et vini expressa. Sic appetit mira unitas inter omnia sacrificia relativa sacrificiumque absolutum crucis.

Juxta posteriorem quam tradidimus definitionem, quæ veram sacrificii rationem magis exhibere videtur, evanescit difficultas.

Adest enim nota in rebus qua exprimitur potestas Dei vitæ et mortis auctoris. Hæc autem mystica immolatio

essentialiter refertur ad veram victimæ mactationem. Aliunde (quod summopere notandum est) Christus realiter adest et offertur. Hinc habetur quidquid *sacrificium commemorativeum* constituit.

Sic Missa dici potest sacrificium spirituale, licet verum et sensibile, per oppositionem ad vetera sacrificia ipsius typica, et ad sacrificium crucis, cuius est mystica renovatio. Sic ubique verificantur sequentia verba Christi, Joan. iv, 23: *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Frustra igitur hæc verba a Calvinistis nobis objiciuntur, quasi sacrificium Missæ excludentia.

Hæc præclare scribit Moelher (*Symbolique, l. 1, § 44*):  
 « Le sacrifice de la Messe est un véritable sacrifice ; mais  
 » on ne peut toutefois le séparer de la vie du Sauveur,  
 » comme on le voit clairement par le but de son institu-  
 » tion. Dans cette dernière partie de son sacrifice, Jésus-  
 » Christ nous donne tout ce qu'il a fait pour nous ; son  
 » immolation, d'objective qu'elle était, devient subjec-  
 » tive, propre à chacun de nous en particulier. Le Ré-  
 » dempteur s'immolant sur la croix nous est encore  
 » étranger ; dans ce culte, il est notre bien propre, notre  
 » victime. Là il se donna pour tous les hommes, ici il se  
 » donne à chacun de nous. Là il ne fut que victime, ici  
 » il est reconnu et adoré comme tel. »

Vide Vasquez, de Lugo, de Pressy, etc.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

Apud omnes constat duo ad rationem sacrificii omnino necessaria esse : rem offerendam seu victimam, et actionem offerentis. Quaerendum est igitur 1º quænam res in sacrificio Missæ Deo sit offerenda, et 2º quænam actio ad essentiam illius sacrificii pertineat.

## ARTICULUS PRIMUS.

## DE RE IN SACRIFICIO MISSÆ ESSENTIALITER OFFERENDA.

Plerique Protestantes, saltem Lutherani et Anglicani, nomen sacrificii retinent, et sanctæ cœnæ, ut aiunt, illud applicant. Sed Melanchthon, in *Apologia confessionis Augustanæ*, contendit illud esse tantum eucharisticum seu gratiarum actionem, a fidelibus Deo reconciliatis factam, pro remissione peccatorum et aliis beneficiis acceptis; non vero propitiatorium dici posse, sine grandi in sacrificium crucis contumelia.

P. *Le Courayer*, canonicus regularis S. Genovefæ Parisiensis, in opere dicto : *Dissertation sur la validité des ordinations anglicanes*, anni 1723, et in altero : *Défense de la Dissertation*, etc., anni 1726, contendit Anglos, præsentiam realem negantes, omnia ad essentiam sacrificii necessaria nihilominus retinere, et controversiam hoc in puncto inter eos atque catholicos esse duntaxat nominis; vult autem naturam sacrificii in sola mortis Christi representatione consistere, etiam absque reali præsentia, et solummodo esse sacrificii crucis commemorationem.

Catholici vero libenter concedunt illud revera sacrificii crucis esse commemorationem, sed veram, realem, et non nudam. Cum quibus sit sequens

## PROPOSITIO.

*Nuda sacrificii crucis repræsentatio ad essentiam sacrificii Missæ, prout a Christo fuit instituta, non sufficit, sed præsentia realis est omnino necessaria.*

Prob. concilio Trid., testimoniis Patrum et rationibus theologicis.

1º *Concilio Trid.*, sess. 22, cap. 1, ubi sic habetur : « Dominus noster... ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visible, sicut hominum natura exigit, relinquaret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæ-

» culi permaneret ; atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit : ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba : *Hoc facite*, etc. »

In capite 2 : « In divino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruento obtulit. » Et in canone 3 ejusdem sess., anathemate percutit eum qui dixerit « Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemoratiō nem sacrificii in cruce peracti. » Concilium non præcise propositionem nostram definit, quia necessitatem præsentia realis non directe exprimit, sed eam in his textibus evidenter supponit. Ergo 1º.

2º *Testimoniis Patrum*. Relegantur testimonia superius ad probandam sacrificii Missæ existentiam citata, et comperietur Patres non aliter dictum intellexisse sacrificium nisi de vera corporis et sanguinis Christi oblatione : ergo semper arbitrii sunt præsentiam realem ad illius essentiam pertinere. Ergo 2º.

3º *Rationibus theologicis*. 1º Sacrificium Missæ longe præstantius esse debet veteribus sacrificiis quibus adumbrabatur : at, in adversariorum sententia, præstantius non esset, siquidem vetera etiam crucis sacrificii erant representationes seu figurae. 2º In sacrificio proprio dicto res aliqua sensibilis cum notabili immutatione offerenda est ; at si Missa nuda esset sacrificii crucis repræsentatio, nulla res sensibilis cum notabili immutatione Deo offerretur : ergo. 3º Apud omnes Catholicos certum est sacrificium Missæ a sacrificio crucis non differre, nisi in modo illud offerendi : si autem essentia ejus in sola representatione vel commemoratione sacrificii crucis consistet, manifestum est quod utrumque essentialiter differet. Ergo 3º.

Sæpe tamen Patres et alii doctores Missæ sacrificium vocant similitudinem, memoriam, commemorationem, figuram, imaginem, symbolum, etc., sacrificii crucis, et quidem rectissime; sed dicendum est illud esse simul figuram, imaginem, etc., et realitatem; quod *ex dictis* optime intelligitur.

Unde theologus apud *de Pressy*, t. 1, col. 1420: « Dès le moment de son incarnation, il a exercé son sacerdoce; il a continué de l'exercer à chaque instant jusqu'à sa mort; il a continué depuis lors à chaque moment et il continuera ainsi durant tous les siècles l'exercice de ce même sacerdoce. »

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE ACTIONE IN QUA ESSENTIA SACRIFICII CONSISTIT.

Sex præscriptæ sunt vel distinguuntur actiones in celebratione Missæ, nempe: 1º offertorium quod est oblationis panis et vini; 2º consecratio; 3º oblatio corporis et sanguinis Christi, post consecrationem, per hæc verba: *Unde et memores nos servi tui.. offerimus præclaræ Majestati tuae, de tuis donis ac datis, hostiam puram;* 4º fractio hostiæ; 5º communio seu sacramenti consumptio; 6º sacramenti distributio.

*Certum est* 1º nullam ex his actionibus voluntarie omitti posse sine peccato mortali, quia esset mutatio in re gravi; et aliunde, his omnibus peractis, sacrificium Missæ esse completum: nihil quippe aliud exhiberi potest ut essentiale.

2º Essentia sacrificii Missæ non consistit in offertorio; siquidem panis et vinum duntaxat offeruntur; dum oblatio corporis et sanguinis Christi de essentia est hujus sacrificii, ex supradictis.

3º Non consistit in oblatione quæ fit post consecrationem. Nam 1º illa oblatio non fit nomine Christi, sed nomine Ecclesiae. 2º In ea nulla fit victimæ immutatio. 3º Christus in ultima cœna fecit quidquid pertinebat ad

essentiam sacrificii quod instituebat; atqui nihil probat eum hanc secundam oblationem fecisse: ergo.

4º Non consistit in fractione hostiæ; hæc enim fractio rem ipsam offerendam nullo modo afficit, ac consequenter sacrificii essentiam constituere non potest. Unde S. Th., 3 p., q. 83, art. 6, ad 6<sup>um</sup>, et omnes theologi cum illo: « Dicendum quod fractio fiat hostiæ consecratae, et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum; et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa ejusdem celebrationem. » Ergo.

5º Non in distributione quæ fit populo; alioquin 1º Missa non esset sacrificium respectu eorum qui non communicant. 2º Distributio ex hostiis in ea Missa consecratis necessario facienda esset. 3º Missa in qua solus communicaret sacerdos celebrans, vera non esset Missa. 4º Solus sacerdos celebrans communionem distribuere posset: atqui hæc omnia falsa sunt: ergo 5º.

6º Contra vero nullum est dubium quin consecratio ad essentiam sacrificii Missæ pertineat; per eam enim actionem Christus in ente sacramenti realiter constitutus, mystice mactatur, et seipsum Deo Patri per sacerdotem offert. Ergo.

7º Quamvis consecratio unius speciei seorsim sumptuosa sit valida, ut in prima parte ostendimus, consecratio utriusque speciei ad essentiam sacrificii necessaria est; quia secus sacrificium crucis non realiter repræsentatur, Christus in statu mortis Deo non offerretur, sacrificium in ultima cœna institutum non renovaretur, nec proinde hæc implerentur verba, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo.

8º Bellarminus, Melchior *Canus, Tournely*, et plures alii crediderunt communionem sacerdotis ad essentiam sacrificii Missæ pertinere; quia illud sacrificium per modum convivii fuit institutum, nec concipiatur sine sumptione. Alii vero generaliter theologi fatentur communionem sacerdotis esse integralem hujus sacrificii

partem, jure divino strictissime præscriptam : et inde natam esse rubricam, ut si sacerdos post consecrationem et ante communionem deficiat, alius substituatur sacerdos, etiam non jejunus, qui Missam perficiat ; sed negant eam ad naturam illius sacrificii pertinere : quia 1º sacrificium perfectum existere potest sine sumptione, ut olim holocausta. 2º Communio seu sumptio est participatio victimæ, et ideo supponit eam esse mactatam atque oblatam. 3º Certum est Christum in ultima cena verum obtulisse sacrificium, et incertum an proprium corpus et sanguinem sumpserit, licet hoc habeatur ut valde probabile : ergo saltem concipitur essentialiam sacrificii communionem non absolute supponere. Ergo.

Recenseantur quæ supra breviter diximus.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ.

Tria hic inquire possunt, scilicet, 1º quos effectus sacrificium Missæ producat, 2º quomodo eos producat, et 3º quis sit ejus valor.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### QUOS EFFECTUS SACRIFICIUM MISSÆ PRODUCAT.

Ratione finis seu effectus, quadruplex olim distinguebatur sacrificium, videlicet *latreuticum*, *eucharisticum*, *propitiatorium* et *impetratorium*, uti jam diximus.

At libenter concedunt Protestantes sacrae Eucharistiae confectionem esse sacrificium *latreuticum*, ad Deum supremo cultu adorandum, et *eucharisticum*, ad gratias ei persolvendas. Sed pertinaciter negant illud esse *propitiatorium* et *impetratorium*, sub praetextu quod tunc sacrificio crucis illuderet; contra quos sit

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Sacrificium Missæ est propitiatorium.*

*Prob.* Propositio est de fide; probatur testimoniis Patrum, liturgiis et ratione.

1º *Est de fide*, ut pote in concilio Trid. definita, sess. 22, can. 3 : « Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis... non autem propitiatorium... ; anathema sit. » Ergo 1º.

2º *Probatur testimoniis Patrum*. S. Cyrillus Hierosol., Catech. mystag. 5, n. 40 : « Christum mactatum pro nos tris peccatis offerimus, clementem Deum pro nobis demereri et propitiare satagentes. »

S. Ambros., de Officiis, l. 1, cap. 48, de Eucharistiae sacrificio agens, ait : « Offert sese quasi sacerdos (Christus), ut peccata nostra dimittat. »

S. Hieron. in cap. 1 Epist. ad Tit. : « Quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populis que peccatis illibatas Deo oblatus est victimas? » Ergo 2º.

3º *Liturgiis*. In cunctis enim liturgiis, etiam antiquissimis, Orientalibus et Occidentalibus, hæreticorum et schismaticorum, sicut Catholicorum, sacrificium Missæ pro remissione peccatorum offertur. Ergo 3º.

4º *Ratione*. Christus est propitiatio pro peccatis nostris : atqui ipse Christus in sacrificio Missæ Deo exhibetur realiter præsens, et tanquam pro peccatis nostris immolatus : ergo sacrificium istud debet esse propitiatorium, nec ullo modo sacrificio crucis ad sensum Protestantium derogat : quod sic exponit Bossuet, *Exposition de la doctrine de l'Eglise catholique* : « C'est la doctrine expresse de l'Eglise catholique dans le concile de Trente, qui enseigne, sess. 22, cap. 1, que ce sacrifice n'est institué qu'afin de représenter celui qui a été une fois accompli en la croix, d'en faire durer la mémoire jusqu'à la fin des siècles, et de nous en appliquer la vertu salutaire pour la rémission des péchés que nous commettons tous les jours. Ainsi loin de croire qu'il manque quelque

» chose au sacrifice de la croix, l'Eglise, au contraire, le  
» croit si parfait et si pleinement suffisant, que tout ce  
» qui se fait ensuite n'est plus établi que pour en cé-  
» lèbrer la mémoire et pour en appliquer la vertu. »  
Ergo 4°.

## PROPOSITIO SECUNDA.

*Sacrificium Missæ est impetratorium.*

*Prob.* Est de fide, probatur usu Ecclesiæ, et ratione.  
1° *Est de fide.* Concilium Trid., sess. 22, can. 3, post  
verba superius citata, dicit anathema eis qui contendent  
sacrificium Missæ offerri non debere *pro pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus.* Ergo 1°.

2° *Probatur usu Ecclesiæ.* In omnibus quippe liturgiis  
sacrificium Missæ offertur ad obtinenda bona spiritualia,  
*pro nostra et totius mundi salute,* et etiam ad sollicitanda  
bona temporalia : sic olim offerebatur *pro salute imperatoris*, teste Tertull., lib. ad Scapulam, cap. 2. « Pro  
» communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compo-  
» sitione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro  
» iis qui infirmitatibus laborant, pro his qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus qui opis in-  
» digent, » inquit S. Cyril. Hierosol., Catech. mysig. 5, n. 8. Similiter et nunc celebrans commendat Deo totam Ecclesiam catholicam, Papam, episcopum, etc. Ergo 2°.

3° *Ratione.* 1° In sacrificio Missæ Christus realiter præsens Deo offertur : atqui talis oblatio idonea est ad impretranda bona, sive spiritualia, sive etiam temporalia, quatenus ad salutem conducere possunt. 2° Sacrificium istud est propitiatorium, *ex dictis* : obtinet igitur gratiam peccatorum et pœnarum peccatis debitaram remissivam : cur ergo alia dona ad salutem conducentia obtinere non posset? 3° Vetera sacrificia, novum sacrificium obumbrantia erant propitiatoria et impetratoria : ergo et sacrificium Missæ.

## ARTICULUS SECUNDUS.

## QUOMODO SACRIFICIUM MISSÆ EFFECTUS SUOS PRODUCAT.

Constat ex dictis sacrificium Missæ, veteribus sacrificiis æquivalens, esse simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Verum petitur an hujusmodi effectus producat immediate vel mediate, ex opere operato, vel ex opere operantis.

1° Quatenus est latreuticum et eucharisticum, immediate et ex opere operato effectus producit; per seipsum enim, et independenter a dispositionibus celebrantibus vel assistantibus, Deum cultu latriæ honorat, et gratiarum actionem pro collatis beneficiis solvit.

2° Quatenus impetratorium, bona tam spiritualia quam temporalia et pœnarum peccatis debitaram condonationem immediate sollicitat, absque merito sacerdotis, ac proinde ex opere operato. Verum, ex decretis Dei, per modum suffragii operatur, et ideo non semper obtinet effectum ad quem destinatur.

3° Ut propitiatorium, remissionem peccatorum, sive mortalium sive venialium, non producit immediate, sed mediate, obtinendo gratias eliciendi actus pœnitentiae, congruentes dispositiones ad sacramenta quibus gratia sanctificans, prima vel secunda, annexa est, etc. Sic expresse se habet concil. Trid., sess. 22, cap. 2: « Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » Unde ingens datur discrimen inter sacramenta et Missæ sacrificium, quoad modum operandi ; ritus enim sacramentalis sic a Christo fuit institutus, ut, eo posito, effectus in obicem non ponentibus infallibiliter producatur ; Missæ vero sacrificium, licet pretiosissimum, infallibiles hujusmodi effectus non producit, idque ex sapienti et divina institutione quam venerari et non scrutari debemus : idcirco særissime pro eodem fine iterari potest.

4° Nihilominus divinissimum illud sacrificium suum

habet effectum, etiam quatenus est propitiatorium, ex opere operato. Ipse enim Christus, qui in cruce mactatus est, super altare immolatur, et Deo in remissionem peccatorum offertur: atqui talis oblatio peccatorum remissionem sollicitat, independenter a dispositionibus sacerdotis: ergo. Sed valoris hujus sacrificii applicatio a variis pendet circumstantiis nobis ignotis: propterea ejus efficaciam nunquam certo noscimus.

5º Quamvis Missæ sacrificium ex opere operato prosit, et principalem suum effectum independenter a dispositionibus ministri habeat, certum est tamen sanctitatem celebrantis, fervorem assistantium et dispositiones eorum pro quibus offertur, ad ejus efficaciam seu applicationem non parum inservire: est sententia communis doctorum et fidelium.

### ARTICULUS TERTIUS.

#### QUIS SIT VALOR SACRIFICII MISSÆ.

1º *Certum est* sanctissimum illud sacrificium in se spectatum, esse valoris infiniti, cum ipse Christus simpliciter infinitus offeratur: infinitos igitur producere potest fructus.

2º *Certum est* illud, ut latreuticum et eucharisticum, esse pretii infiniti, id est, Deum infinite honorare et laudare, quia omnes actiones Christi sunt valoris infiniti; a fortiori, præstantissima illa actio qua sacrificium crucis incruente renovatur.

3º *Certum est* fructum hujus sacrificii homini communicatum seu applicatum, non esse simpliciter infinitum; nam 1º efficacius esse non debet quam sacrificium crucis: atqui sacrificium crucis non fuit infinitum quoad applicationem, alioquin omnes homines de facto ab omnibus peccatis fuissent justificati. 2º Missa plures offerri non deberet pro eodem fine, quod praxi Ecclesiæ adversatur. 3º Creatura applicationis simpliciter infinitæ non est capax. Ergo.

4º Cum valor sacrificii Missæ sit in se infinitus, et uni-

cuique finito modo tantum applicetur, certum est eum multis simul, æqualiter vel inæqualiter, juxta Dei beneplacitum, applicari posse. Unde qui audit Missam coram multitudine celebratam, tantum percipere potest fructum, sine aliorum præjudicio, quantum perciperet si solus assisteret: talis est communis fidelium et totius Ecclesiæ sensus. Secus enim melius esset Missam parochiale deserere, et querere Missam privatam; satius esset habitare in parochia exigua quam in numerosa, etc.

*Notandum* triplicem in sacrificio Missæ distinguunt fructum: unum generalem omnibus assistantibus communem; aliud speciale, qui, vi intentionis ministri, alii cui potest applicari, et tertium specialissimum, qui ad celebrantem essentialiter pertinet, quatenus rem bonam facit.

5º *Certum est* Missam pro aliquo specialiter oblatam, ipsi specialius prodesse, quamvis ignoremus quomodo id fiat. Theologi rem illustrant exemplis: sol, v. g., coram multitudine lucens, non ideo minus illuminat singulos; vox a multitudine audita, non minus a singulis auditur; et nihilominus, sine aliorum præjudicio, intensitas lumenis vel caloris aut soni vocis ope artificiali augeri potest respectu privatorum. Ergo.

6º *Disputatur* inter theologos an Missæ sacrificium pro multis specialiter oblatum, tantum unicuique proficiat quantum proficeret si pro uno solo offerretur. Multi negant, ea presertim innixi ratione, quod, ex institutione Christi, valor Missæ in se infinitus, finito modo tantum applicetur. Vide *Ferraris*, vº *Missæ sacrif.*, art. 4, n. 14. Alii vero multo plures, ut *Suarez*, *Concina*, *Hubert*, *Juénin*, *Tournely*, et *S. Ligorius*, affirmant, contendentes effectum Missæ limitari, non ex institutione Christi, ut volunt patroni primæ sententiæ, sed ex finita capacitate hominum pro quibus offertur: unde concludunt æque singulis et pluribus prodesse ac si uni tantum applicaretur.

7º Ommes tamen fatentur sacerdotem qui plura accepit stipendia vel plures promisit Missas, tot singulatim

celebrare ex justitia teneri, sub peccato mortali, 1º quia prior sententia, a multis defensa, non est improbabilis; 2º quia per susceptionem stipendiorum vel promissionem Missarum factus est contractus, cui ex justitia standum est; 3º quia Alexander VII, decreto 24 sept. 1665, hanc damnavit propositionem, n. 10 (*Curs. compl. t. vi, col. 694*): « Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendum accipere, et sacrificium unum offerre. » Ergo.

## CAPUT QUARTUM.

### DE IIS PRO QUIBUS MISSÆ SACRIFICIUM OFFERRI POTEST.

Duplicis generis sunt personæ pro quibus divinum illud sacrificium offerri potest, nimur viventes et mortui.

#### *De viventibus.*

1º Nullus est dubitandi locus quin Missæ sacrificium offerri possit pro omnibus Ecclesiæ membris adhuc viventibus, sive justi sint, sive peccatores, modo non excommunicati; est enim propitiatorium et impetratorium, ex dictis: igitur offerri potest ad obtinendam remissionem peccatorum, et ad impetranda bona ad salutem conducentia. Porro si quidam homines tales obtinere possint effectus, maxime qui sunt membra Ecclesiæ viventia. Ergo. Unde in canone Missæ, oratione *Te igitur*, dicimus: *Quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica... pro omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicæ fidei cultoribus.*

2º Pro catechumenis et ipsis infidelibus in genere offerri potest per modum deprecationis, ut convertantur, pœnitent et gratiam justificationis obtineant; pro iis quippe omnibus deprecari licet, juxta hæc B. Pauli verba, I Tim. n. 1: *Obsecro primum omnium fieri obse-*

*creationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt.* Porro sacrificium Missæ, quatenus impetratorum, per modum deprecationis offerri potest. Ergo.

3º An offerri possit pro excommunicatis, major est difficultas. Communius tamen docent auctores Missam licite offerri pro excommunicatis toleratis, et eis prodesse quatenus offertur in persona Christi; quia, vi Constitutionis Martini V, *Ad evitanda scandala*, cum eis communicare licet in divinis. Imo probabiliter valide et quandoque licite offerri potest nomine Ecclesiæ, præcise quia hujusmodi excommunicati non sunt vitandi. Non tamen publice nominari possent si essent notorii, licet tolerati, propter fidelium offenditionem.

4º Pro excommunicatis non toleratis Missæ sacrificium offerri potest indirecte, si nempe offeratur pro omnibus peccatoribus, pro conversione hæreticorum et impiorum: sed directe offerri non potest nomine Ecclesiæ pro iis etiam generaliter spectatis, nullum in particulari nominando; et communiter docent auctores eum qui sic ageret, mortaliter peccaturum, quia contra gravem Ecclesiæ prohibitionem iret.

5º Quoad hæreticos et schismaticos non videtur, in hac quæstione, ratio discriminis inter eos et alios excommunicatos. Pro iis ergo Missæ sacrificium offerri potest vel non potest, prout, ex circumstantiis, annumerandi sunt excommunicatis toleratis vel non toleratis.

Diximus nomine Ecclesiæ, quia sacerdos potest, ut privatus, pro excommunicatis non toleratis orare etiam in precibus publicis ac in ipso Missæ sacrificio: imo actionem sacrificandi, prout est opus personale, offerre potest. Intentio enim Ecclesiæ fuit tantum excommunicatos denuntiatos iis privandos esse bonis quæ Deus in gratiam ipsius Ecclesiæ concessurus fuisse. Talem excommunicatum in precibus publicis nominare, fidelibus commendare non posset, nec, ut arbitramur, stipendum ab Ecclesia determinatum exigere, cum divinum Sacrificium more consueto et nomine Ecclesiæ offerre nequeat.

Hæc melius intelligentur ex dicendis in Tractatu de Censuris.

*De mortuis.*

1º De fide est Missæ sacrificium offerri posse pro defunctis in purgatorio existentibus; sic enim habet concil. Trident. sess. 22, can. 3: « Si quis dixerit Missæ sacrificium esse tantum laudis... neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit; » et sess. 25, decreto de Purg. definit « animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio, adjuvari. » Addi possent testimonia Patrum et praxis totius Ecclesiæ. Ergo.

2º Ignoramus autem qua ratione sacrificium salutare, eleemosynæ aliaque bona opera mortuis prosint. « Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem; » S. Aug., Serm. 172, t. v, col. 827. Fructus igitur Sacrificii applicatur defunctis modo finito, in quantitate dispositionibus quas habebant moriendo proportionata, et nobis prorsus ignota. Ideo, multis pro eadem anima iteratis Missis, non constat eam a poenis purgatorii esse liberatam.

3º Attamen Missæ sacrificium prodest defunctis ex opere operato; quia principalis fructus ejus a dispositionibus celebrantis non pendet. Parvi refert ergo, sub hoc respectu, an Missa a bono vel a malo celebretur ministro, aut dicatur Missa defunctorum, vel occurrentis sancti aut feriae; idem quippe est valor substantialis Sacrificii: sed, ex parte orationum, magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatae: verum hic defectus compensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Missam, vel ejus qui postulat dici, vel iterum per intercessionem sancti cuius fit officium.

4º Pro infidelibus defunctis Missa offerri non potest nomine Ecclesiæ, quia ad Ecclesiam non pertinent. Offerri igitur non potest ad satisfaciendum voto matris

desolatæ, pro infante sine Baptismate decesso, ne privatim quidem, quia hujusmodi infantes constituuntur in statu fixo.

5º Pro excommunicatis vitandis, ante absolutionem defunctis, Missa nomine Ecclesiæ offerri non potest, nec orationes Domino porrígendæ, nisi viventes evidenter pœnitentia signa dederint, et etiam defunctis beneficium absolutionis impendatur, ut docet Innocentius III, Decretal. l. 5, tit. 39, cap. 38.

6º Pro excommunicatis toleratis probabiliter licet publice orare et Missæ sacrificium nomine Ecclesiæ offerre, ob rationem supra expositam, et eadem conditione si fidelium offensio timenda esset.

7º Attamen Ecclesia non orat pro hæreticis et schismatibus publicis, etsi non denuntiatis, nec pro impiis notoriis, « nec pro illis quos constat decessisse in mortali, ut cum quis suspendit se, vel præcipitat, aut alio modo se interficit. » Sunt verba Glossæ in decretum, part. 2., causa 13, q. 2, can. 21.

Nunquam igitur Missa saltem publice offerri potest pro iis quibus denegata est sepultura ecclesiastica, quia tunc vera existeret contradicatio.

8º Privatim vero orare et ipsam sacrificandi actionem, prout pendet a merito privato, per modum suffragii offerre possumus pro omnibus christianis, quorum reprobatio non est certa, ut apud Deum adjuventur, si re ipsa adjuvari possint; quia *melius supererunt ista eis quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt*, inquit S. Aug., lib. de Cura gerenda pro mortuis, cap. 18, t. vi, col. 530.

9º Certum est Missæ sacrificium offerri non posse sanctis, sed soli Deo qui illos coronavit, ut docet concil. Trident., sess. 22, cap. 3. Ex canone 5 sequenti, de fide est Missas celebrari posse *in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit*, et quotidie facit.

10º Quidam opinati sunt animas damnatorum aliquantulum a poenis sublevari per eleemosynas et sacri-

ficia ad eorum intentionem oblata, ut videre est apud P. Petau, t. III, dogm. I. 3, cap. 8, n. 15; verum hæc singularis opinio nullo innixa fundamento, explodenda est velut absurdæ. Imo, cum quidam concionator hanc emisisset sententiam, ex resolutione S. Cong. Inquisitionis ab Innocentio X approbata, coactus est se retractare: *Ferraris, vœ Missæ sacrificii*, art. 7, n. 20.

11º Ad saecram Cong. Concil. delata est quæstio quam non resolvit, an scilicet ante mortem celebrare vel celebrari facere liceat Missas de *Requiem*, pro suffragio animæ suæ, per anticipationem. S. Congregatio autem Rit. declaravit, die 28 martii anni 1775, Missam de *Requiem* pro persona adhuc vivente, per anticipationem celebrari non posse. *Gardell.*, t. V, p. 8<sup>4</sup> et 8<sup>5</sup>.

## CAPUT QUINTUM.

### DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ.

Christus principalis est offerens in sacrificio Missæ. « Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum » tunc in cruce obtulit, » ait concil. Trid. sess. 22, cap. 2. « Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio, » inquit S. Aug. de Cœnitate Dei, l. 10, cap. 20, t. VII, col. 156.

*Probavimus in prima parte* solum sacerdotem esse ministerum Eucharistiae sacramenti quoad confectionem: inde sequitur eum solum Missæ sacrificium valide offerre posse. Circa hoc punctum nullum moveri potest, nec de facto movetur dubium.

Simplices tamen fideles aliquo sensu dici possunt Missæ sacrificium offerre, quatenus videlicet oblationem a sacerdote factam approbant, ei consentiunt, et Christo victimæ cordis affectu conjunguntur. Unde in canone legitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum.... pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque, etc.*

Dispositiones in sacerdote requisitas ad licite celebran-

dum, supra descripsimus, agendo de dispositionibus ad suscipiendam Eucharistiam necessariis. Nunc specialiter nobis agendum est 1º de obligatione quām habent sacerdotes Missam celebrandi; 2º de frequenti celebratione; 3º de obligatione fructum Missæ applicandi; 4º de stipendio et obligationibus ex stipiendo nascentibus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE OBLIGATIONE QUAM HABENT SACERDOTES MISSAM CELEBRANDI.

1º Longe communius docent theologi, v. g., S. Th., Suarez, Layman, Bonacina, Concinna, Habert, Juénin, Collat contra card. de Lugo et nonnullos alios, omnes sacerdotes, non legitime impeditos, teneri sub peccato mortali saltem aliquando celebrare; idque concludunt 1º ex verbis B. Pauli, Hebr. v, 1: *Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis;* 2º ex verbis Christi, *Hoc facite in meam commemorationem:* quæ verba, ex concilio Trid., sess. 22, cap. 1, verum continent præceptum; 3º ex Decretal. l. 3, tit. 41, cap. 9, ubi Innocentius III fortiter arguit sacerdotes qui *Missarum solemnia vix celebrant quater in anno;* 4º auctoritate S. Pii V, qui contradictoriæ opinionem ex operibus Cajetani eam defendantis expungi jussit, referente S. Ligorio, l. 6, n. 213, dub. 4.

2º Non sibi consentiunt theologi quoties in anno celebrare teneatur sacerdos, ut non peccet mortaliter. « Saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt, » inquit S. Th., 3 part., q. 85, art. 10, conclus. Præcipua autem festa in quibus fideles communicare consueverunt, sunt Nativitas Domini, Pascha et Pentecostes, ut explicatur apud Bened. XIV, l. 3, cap. 1, n. 5 et 6.

Concilium Trid., sess. 23, de Refor. cap. 14, sic habet.